



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Thomas Aqvinas C. 7. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Martyres calum numerat. Sed ad id impulit nimirum Servator, qui ei tormenta, quæ exantlasset, quibusque membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod primo omnium loco erat ponendum. Precanti in conspectum MAGNA MATER se & FILIOLVM suum dederat; sed non eum, qui è sinu vel MATRI vel COLETÆ arrideret, sed qui unum jam toto vulnus corpulculo, lacrimis suis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie facinorosorum crudelitatem esse: utiq; pueritiæ cum primis, quæ vix natum CHRISTVM, vix ipsa nata, non jam uno concidit vulnere. Quin quod placet prævenire Iudæorum manus: puerum CHRISTVM in crucem pueri agunt, nec semel agunt. Superi! quid gigantes facient, quando bellum celo pumiliones inferunt? *Ex Steph. Jul.*

S. THOMAS AQUINAS C.

7. Martir.

THOMAS Aquinatum Comitum sanguis, infans oblata fortè in schedâ verba, quibus MARIAM salutamus, illico devoravit, bellaria omni infantia danda. Puer in bullâ suâ mundum agnovit, eoq; ad D. Dominici castra confugit; sed retractus à tam generosa fugâ egregiam pugnam edidit,

dit, Veneremque ab inimicis domesti-
cis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis, in fugam agens
novo stratagemate ignes ignibus elusit.
Ita ubi debellatum est, victoriam gra-
tulati Angeli, balteo virginitatis victo-
rem exornarunt. Ille postea doctrinam
virtuti socians, ita de Republ. Christia-
na meruit, ut inter Doctores sanctiores
Princeps habeatur. Certè præclaram
censuram CHRISTVS è cruce tulit illis
verbis: *Bene de me scripsisti Thoma; mer-
ces tua quæ erit? Superi, quibus studiis
veteres verbum illud BENE emendica-
runt! De stipendio quid dicam? dum
præter ipsum, de quo scripserat, petiit
nullum, majus non potuit petere. Ad
aram porro cum fecisset, solenne ha-
buit facienti deinde alteri pro ministe-
rio assistere, ut qui idem amant facere
in pietate discipuli, illud facere se
sciant, quod prior Angelicus Doctor
fecit. Denique in unam DEI gloriam
conjecit oculos; atque hinc à morte
stellâ pectus insignis, dixit eam purâ
animi intentione se meruisse. Itaque
astra in quæ collimavit, facile obtinuit:
nos quia oculo non cælum ampliissi-
mum, sed scopum terram pusillam sta-
tuimus, toto cælo erramus. Ex Surio.*